

30.11.62

Observationes et emendationes a Conferentia Episcoporum diliensium pro
Schemate Decreti "De Ecclesiae unitate. Ut omnes unum sint" propositae.-

I) Observationes generales.-

- 1) Quia doctrina huius schematis ad ecclesiologiam spectat, opportunum videtur ut in Constitutione "De Ecclesia" inseratur, praesertim si oculis habeatur pondus quod, ad hanc quaestionem aptius enucleandam, doctrinæ de Corporis Mystici membris agnoscitur.-
- 2) Insuper opus est ut tria themata, scilicet schema Decreti "Ut unum sint", caput XI "De Oecumenismo" schematis Constitutionis "De Ecclesia" nec non Schema Decreti "De Oecumenismo catholico" a Secretariatu pro Unione exaratum, at nondum definitive typis impressum, in unum coalescant ac mutuo compleantur.-
- 3) Nova istorum thematum conscriptio deberetur continere:
 - a) Conspectum doctrinale de mysterio unitatis Ecclesiae, integre etsi concinne propositum.-
 - b) Declaracionem circa rationem cum omnibus Protestantibus ad unionem fovendam, et
 - c) Peculiarem conditionem hac in re Ecclesiarum Orientalium a Romano Pontifice separatarum.-

II) Si vero textus schematis ex integro vel ex parte servetur, emendationes quae sequuntur inserendae videntur:

- § 4. Pagina 251, l. 30: Pro verbis "Ierusalem nova" (Apoc. 3, 12), suadentur "Ierusalem caelestis" (Hbr 12, 22).-
Ratio: Secundae citationis sensus litteralis ad rem melius constare videtur.-
P. 251, l. 31 et 252, l. 1: Pro "Sponsa Agni" susuetur "Sponsa Christi" (Ef. 5, 24 s), eadem ratione.-
- § 6. P. 252, l. 28: Loco referentiae ad Apoc. 21, 6, proponitur collatio v. 17 capitinis 7 eiusdem Libri, quia alterius textus litteralis sensus melius respondet doctrinæ propositae.-
P. 252, l. 29: Pro regali Christi dignitate potius quam Apoc. 19, 16, referentia fiat ad Ioann, 18, 37 "qua rex sum ego".-
P. 252, l. 32: Post verbum "visibilis" addatur "his in terris".-
Ratio: Sic doctrina clarius exprimitur circa cessationem in gloria exercitii potestatis Hierarchicae sive quoad iurisdictionem (Cf. Card. Caietanus in I-II, 33, 4º, n. 2) sive quoad ordinem (S. Thomas, III, 61, 4, ad 1; 63, 1, ad 1.-
P. 253, l. 1: Omittantur verba "sive solus sive cum collegio episcopali".
Ratio: Potestas Summi Pontificis sufficienter etiam sine his verbis declaratur; si autem haec verba servantur, periculum est ne opinioni catholicæ secundum quam Romanus Pontifex semper ut caput collegii agit ideoque et semper aliquo modo collegialiter, praeiudicetur.-
- § 7. P. 253, l. 15: Omittantur verba "et schismata".-
Ratio: Duriora videntur.-
P. 253, l. 26: Post verba "Petri successore" addantur "et ab Episcopis in eius communione gubernatur".-
Ratio: Nisi haec additio fiat, potestas iuris divini ac propria Episcoporum in Decreto obnubilata manet ansaque tribuitur opinioni apud nonnullos separatos fratres vigenti quod in Ecclesia catholica nulla est vera potestas nisi solius Romani Pontificis. Haec doctrina iam in Sess. IV Concilii Vaticanani I exposita (Denz. 1828) clarius adhuc a Leone XIII evolvitur in Litte-

ris Encyclicis "Satis Cognitum" (ASS, vol 28, p. 708 ss, sp. sub n° 52).-

P. 253, l. 31 ss: Tota ultima oratio omittatur.-

Ratio: Quia sensus quorumdam sine necessitate laedi poterunt.-

§ 9. P. 254, l. 9: Post verbum "esse" addatur "ideoque salutem consequi posse".
Ratio: Verba quorum additio postulatur inveniebantur in schemate a particuliari Commissione praeparatoria Commissioni Centrali proposito, et non est nisi consequentia affirmationis in schemate contentae de analogica incorporatione quorumdam fratrum separatorum, in bona fide scilicet versantium, verae Ecclesiae: Si salus est intra Ecclesiam, qui ad eam pertinent salutem consequi possunt cum iisdem principium "Extra Ecclesiam non est salus" applicari nequaet .- Additio quae postulatur gratissima insuper erit separatis fratribus quod non spernendum videtur ut elementum praeparatorium desideratae unitatis.-

§ 10. P. 254, l. 20: Pro verbo "dissidentes" ponatur "separati" vel "non catholici".-

Ratio: Ad vitandam laessionem eorumdem.-

§ 11. Ex integro omittatur.-

Ratio.- Propria extollentia Catholicae Ecclesiae parum vel nihil prodest unitatis causae immo secus. Ad mentem Summi Pontificis fel. regnantis pluris est ad praesentia attendere quam ad historicas vicissitudines sese convertere in quibus non emnia ex utraque parte felicis recordationis dignae sunt.

§ 14. P. 256, l. 3: Pro verbo "desudabant" ponatur "desudabunt".-

§ 16. P. 256, l. 25: Post verbum "fuerunt" addatur "et sunt".-

Ratio: Ne concilium videatur parvipendere vel ignorare actualem pietatem marialem fratrum orientalium separatorum.-

§ 26. Ex toto omittatur.-

Ratio: Quoad substantiam iam in § 24 invenitur. Insuper est in § 26 aliquā verborum ambiguitas qua Ss. Patrum instituta in discriminem quoad orthodoxiam vocatur, quod saltem ut iisdem contumeliosum interpretari potest.-

§ 27. P. 259, l. 30 ss: Omittantur verba a "exceptis" usque ad "Obstant".-

Ratio: Evidens est post unionem non posse admitti quod unioni obstat. Sed insuper, textus prout iacet supponit in Ss. Patrum institutionibus et in legitimis populorum moribus, aliquid inveniri "derogans honestati", quod sane ut iniuriosum Ss. Patribus interpretabitur. Neque potest aliqua disciplina esse legitima et simul "periculum generare animarum". Res denique in genere morum tam perspicua non est duriori modo exprimenda.-

§ 34. P. 262, l. 7 ss: Tota oratio et citatio Ezeq. omittantur.-

Ratio: Quia verba Ezequielis ad separatos fratres applicata contumeliosa apparent.-

§ 37. P. 263, l. 24: Omittatur verbum "Christi".-

Ratio: Ne aliae Ecclesiae a Christo Domino omnino aliena videantur declarari, quod ad fratribus separatis iniuriosum habebitur.-

§ 39. P. 264, l. 4: Pro verbis "qui patriarchali condecorantur titulo" ponatur "qui patriarchali fruuntur potestate".-

Ratio: Patriarchalis dignitas in Ecclesiis Orientalibus non est quid mere honorificum, praelatorum familiae pontificiae instar, sed gradus iurisdictionis ecclesiasticae ut etiam in Codice novissimo pro orientalibus agnosceatur. Vitandum ergo omnino est quidquid Patriarcharum potestatem extenuare videtur.-

§ 42. P. 264, l. 30: Pro verbo "magis" ponatur "plene".-

Ratio: Secus decretum interpretabitur ac si theologia latina superior existimat et tantum pro unitatis amore Ecclesia parata sit, aegre tamen, concessiones aliquas orientalibus faciendi.-

§ 50. P. 266, l. 35 s: Verba a "iis tantummodo" usque ad "expunctis" omitti possunt.-

Ratio: Rationi rectae evidenst est clausulam veritatem enuntiare; quia tamen res nimis evidens apparet, non videtur necessarium eam iterum disertis verbis explanare non sine periculo offensionis.-

Romae, d. 30 Novembris 1962.-

Radulfus Card. SILVA HENRIQUEZ,
Archiepps. Sancti Iacobi in Chilia.-

PAERIMONIO D.G.